

vulgaribus chronographis, ut ludant homonymiis. Verum etyma omnia illorum falsa sunt. Quod Venedae linguae ignari sint, quae principio harum urbium in his oris regnavit. Obstupui nuper ad philosophiam Moscovitae alicuius, qui omnium huius viciniae locorum mihi etyma dedit, beneficio vernaculae, quae soror est Venedi sermonis.

§. VI. DIETGREMVS C. *Wettini* parentem in successione excepit: hunc filius sequutus est DIETMARVS, m. 940. cuius frater *Fridericus* Marchio Misniae est electus: illi DIETHERICVS s. *Theodo* s. *Theodoricus* successus est, m. 985. successit ei iterum filius DEDO, m. 1009. qui DIETERICVM II. filium heredem habuit, m. 1034. sed parentis ditionem THIMO auxit, spe sibi facta ad MISNIAE Marchionatum, ast morte praeuentus 1091. successionem filio *Cunrado* reliquit.

*De Misnensi Marchionatu suo ordine agetur. Proderit hic, successus Marchionum e Wittekindea Wettinensi stirpe summam intueri. Sequimur tamen in illa doctrinas vulgares. Qui enim ipsi sub examen reuocemus singula, nostri non est instituti. Faciant hoc illi, quorum interest, & quibus plus temporis ac otii, quo nos destituimur.*

A a 2

Nieder

3. part. Theatri Saxonici s. Poliographia conditorem castrum Wittebergensis Wittekindum Magnum vocat, fatetur tamen, nomen huius urbis in antiquorum Historicorum monumentis vix occurrere. Tempore Alberti Vrsi Wittebergae demum mentio fit, quem etiam conditorem eius esse, nonnulli existimant, atque hae coniecturae propius ad veritatem accedunt. Schurzfl. in Append. ad vitam Alberti III. inquit: *verae ac indubitatae eius oppidi origines non ante coeperunt, quam cum Ducibus Ascaniis, qui Slavos nominatim Sorabos post tempora Ottonum Wittekindeae gentis Imperatorum inter tractum Albis & Salae rerum potitos ex his finibus exegerunt atque deleuerunt. Aeuo enim Carolingorum, quo floruit Wittekindus M. neque Saxonia, neque Soraborum regio vrbes habuit. Hinc Georg. Fabricius ingenue Sax. illustr. l. 9. p. 114. fatetur, non constare sibi, a quo Witteberga aedificata fuerit, nullo tamen ante Friderici Aenobarbi temporum monumento, nullis tabulis, nullo codice commemorari Wittebergam. Kirchmeierus iunior Wittebergae historiam meditatur ex instituto describendam.*